



Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Festa populo Christiano indicta quæ sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Festa præcepta. 299

porest mercenariè in festo fieri, nec per hoc redditus seruile: vt in commentariis super secunda secundæ quæst. cxxii. diffusè declarauimus, vbi latius de festorum obseruatione differuimus. Quintum est quod licet cum abstinentia à seruilibus solius Missæ cultus sufficiat in festo ad evitandum mortale peccatum, tenentur tamē fideles diem expendere in diuinis laudibus, saltem eundo ad prædicationem & ad vesperas. Vnde qui festos dies post Missam vanè consumunt ludendo, iocando, otioseque vagando aut venando, spectaculis intendendo, & huiusmodi, licet ex ipsis operibus, vt pote non seruilibus, mortale non incurvant: ex omissione tamen diuini cultus ad quem festa instituta sunt, grauiter peccant: quia non reddunt quæ sunt Dei Deo: & quia quantum in se est, ridiculo exponunt Christiana festa: iuxta illud: Viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius. Et hoc præcipue tangit viros graues, & maiores, & dominos, certi nanque eos imitantur.

Festa populo Christiano indicta quæ sint.

QVæ sint festa ab omni Christiano populo seruanda, ex consuetudine discerne. Nam certa quidem sunt omnium dierum dominicarū, Natalis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duobus diebus seq. Ascensionisq; Domini, ac Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, & corporis Christi, quatuor solennitatum beatæ Mariæ semper Virginis. Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Nativitatis: nativitatis Ioannis Baptiste, duodecim Apostolorum quo ad festa principalia (quod dicimus propter festa eorum secundaria: vt cathedra Petri, & similia) martyrum duorum Stephani & Laurentii & festivitatis omnium sanctorū & Inventionis sanctæ Crucis. De festis vero sanctorū Angelorum,

T 5 &

300 Filij peccata.

& præcipuè in Septembris fine : de sancto Martino,
Siluestro, ac Innocentibus, & similiter de dedicatione
Ecclesiæ, & quibuscumque aliis potest conformare se
quisque consuetudini patriæ . Quod ideo dixerim,
quia non videntur prædicta ubique seruari, quamvis
præcepta dicantur.

Consuetudo in festorum obseruatio-
ne seruanda est.

Circa principium & finem festorum, patriæ con-
suetudo seruetur, ita ut licet communiter festum
celebretur de vespere in vesperam: si tamen ars aliqua
(puta sutoria aut tonsoria) consuevit à media nocte
in mediam noctem celebrare, seruari potest huius-
modi consuetudo: habetur enim pro approbata pa-
triæ consuetudine quantum ad illas artes quæ sic
consueverunt absque Prælatorum reprehensione ce-
lebrare festa.

Filius potest tripliciter in parentes peccare.

Filli peccata peculiaria sunt tria . Primum est irre-
uerentia parentum, quæ si notabilis esset iniurian-
do, irridendo aut operando , peccatum proculdubio
mortale impietatis est . Secundum est , inobedientia
quò ad illa in quibus filius subiicitur patri : subiicitur
autem & quò ad domesticam gubernationem, &
morum instructionem: est enim pater ex naturæ na-
re gubernator & instructor filiorum & domus, &
ideo inobedientiæ crimen filius incurriteret paterna
præcepta contemnens . Tertium est omissio subuen-
tionis: & hoc in casu necessitatis : quoniam pater te-
netur sustentare filium, & non econtrario, nisi in casu
necessitatis: in quo filius peccat plusquam mortaliter
non subueniendo patri indigenti , iuxta vires prouid-
endo illi de necessariis . Impietatis enim hæc omnia
crimina sunt : quia pietas parentibus cultum obse-
quiunque